...obus

... Princeps

Chreptowicz Michaelis Universitas Majestatum Europae in sautum regium a Principe Hymenaeo collecta.

4.

VNIVERSITAS
MAIESTATVM EVROPÆ
In
SCVTVM REGIVM
a Principe Hymenæo
COLLECTA,
Atq; fortunatissimis NEO-SPONSIS
SERENISSIMO DOMINO
D. IACOBO
PRINCIPI POLONIARVM
ET
SERENISSIMÆ DOMINÆ
D. HEDVIGI
ELISABETHÆ AMELIÆ
COMITI PALATINÆ RHENI,
PRINCIPI IN NEVBVRG,
Ad Felicissimas suarum MAIESTATVM Nuptias,
Ab Vniversitate & Academia Vilnensi Soc: IESV.
PRÆSENTATA
Per Illustrem ac Magnificum Dominum
MICHAELEM CHREPTOWICZ
Dapiferidam Novogrodensem, Philosophum absolutum.

VILNÆ Typis Acad: Soc: IESV. Anno Dñi 1691.

59.

\- - CLYPEI non enarrabile textum
In quo res Italas, Romanorumq́; triumphos
Haud vatum ignarus venturiq́; inſcius ævi
Fecerat Ignipotens. Illic genus omne futuræ
Stirpis ab Aſcanio, pugnataq; in ordine bella.
Virgilius Æneidos Lib: 8.

AD SERENISSIMOS NEOSPONSOS

VNiversitatem Maiestatum super CORONARIVM Poloniæ SCVTVM à SERENISSIMO VESTRO HYMENÆO erectam, dum collecti ex Orbe, Imperiales, Regij, Ducalesq; plausus & triumphi undiq; circũfundunt: etiam Vniversitas & Academia Vilnensis adoratura accedit, SERENISSIMI NEOSPONSI. Movit illam ad hunc non humilẽ ausũ, in unã Poloniã confluentium ex Vniversa Europa MAIESTAtum Communis motus. ostendêre viam nulli inaccessæ, hostibus ad prodigium formidandæ, Civibus amabiles, REGNATRICES GRATIÆ. Excitavit geniali lætitia, horridum aliàs solitus sonare Gradivũ REGNATOR Martis Europæ CLYPEVS; sub quo Hæc Scientiarũ Mater, Litvanorũ Gymnasiorũ Caput, adversis æstibus incalescens, Tutelarẽ toties invenit Vmbrã. Certat effuso ad metam publicæ felicitatis cursu, cum Litvano, ACADEMICVS EQVES; & dum ille ab amore MAIESTATVM solo saloq; quæsita defert munera: hic, eodem amore arbitro & authore, CORDIS HOMAGIVM in symbola sui candoris pagina Serenissimo Vestro Hymenæo proponit. Patebit etiam Minimæ Societati, per medias MAIESTATES, aditus ad SOLIVM VESTRVM tot MAIESTATIB9 coronatũ; quæ nè pullo amictu publicæ officiat hilaritati, à SERENISSIMIS VESTRIS MAIESTATIB9 precariò accepta serenitate, dignam se REGVM & DVCVM

 aspe:

aſpectibus efformat. Fertur in eandem publicæ felicitatis metã, publico Vniverſitatis expedita ſuffragio, GENTILITIA SAGITTA CHREPTOVICIANA; continuat devotum SVIS MAIESTATIB9 impetum: & quæ nuper ex ſinuatis in triumphalem arcum Literatorũ Numinum emiſſa pectoribus, vota Vniverſitatis in ſe collecta; ſuper MAIESTATE SARMATIÆ, SERENISSIMO IOANNI III DOMINO Noſtro Clementiſſimo præſentavit; in Te AVGVSTISSIMO EIVS FILIO, PRINCEPS INCLYTE, impetum ſuum feliciter æquè ac glorioſè promotura; pectora, tum Liberorum Academiæ Civium, tum devinctæ PRINCIPVM obſequijs Domûs Suæ, *SERENISSIMO VESTRO addicit HYMENÆO. Agite SERENISSIMI NEOSPONSI, & MAIESTATVM Vniverſitatem in omnigenæ felicitatis Academiam commutate. In illa demùm, quam hactenus ignoravimus, diſcemus proſperitatem; prædicabimus glorioſum, nullâ fatorum vi rumpendum, SERENISSIMÆ NEOBVRGICÆ PROSAPIÆ cum feliciter Regnante SOBIESCIANA DOMO, Nexum. Prædicabunt ſerò ſecutura ſecula, & auguſtæ poſteritatis gloriâ animatæ*

Magnificæ moles, & ſaxa loquentur, & aræ.

Ita precatur

SERENITATIBVS VESTRIS

Devinctiſſima

ACADEMIA & VNIVERSITAS VILNENSIS
Societatis IESV.

VNIVERSITAS MAIESTATVM EVROPÆ

SAcros Majeſtatum nexus, prodigioſos demùm Veſter efficit Hymenæus; dum ſuper Regnatorem CLYPEVM, collectis ex universa Europa Majeſtatibus in uno Regno Regnorum Vniverſitatem, grande Majeſtatum excitat prodigium SERENISSIMI NEO-SPONSI. Formidata hactenus orbi fuit è longinquo in unum Polum confluentium Serenitatum affinitas; ſuſpecta quantùmvis ſolidis conſtans fœderibus Majeſtatum unio, nè fœderum violatrix perfidia, eò perniciosior, quò minùs ſperata, in clades & funera gentium graſſatura, ex doloſis ſimulatæ fidei viſceribus naſceretur. Graviùs enim incumbit minùs ſperatus hoſtis. nec ita nocet aperta flamma, quàm illi, qui ſub doloſis cineribus latitarûnt igniculi. Vicina ſunt Soli & nomina & ingenia ſoliorum, & ut illi ſi plures in uno Polo, ita hæc ſi uno conſiſtant in Regno, nihil proniùs, quàm ut in populatricem ſubjectorum Regnorum flammam & buſta Provinciarum exardeſcant. Raró quæ parium Sceptra Regum univit, eadem unita diuturna tenuit felicitas. Rumpuntur pacem, fortunam, ſalutemq; Regnorum ligantes nodi. paciferæ virgæ ſæpe in cædes vibrantur, & conditi vagina gladij, ſtringuntur in fœderatorum excidia populorum.

Cogna-

Cognatarum Majeſtatum impatientes, *primi fraterno maduerunt Sangvine muri.* nec quibus Sangvinis conſortium, ijſdem conſangvineum conſorte poteſtate animum natura potuit infundere. Profectò omnium ſæculorum iudicium eſt, unius ſolis unam ſerenitatem, unius throni & Regni unam debere eſſe Majeſtatem. Verùm correxit hoc judicium thaumaturgus ſociatarum Majeſtatum arbiter Sereniſſimus Veſter Hymenæus, qui, in Regale unius Polonæ Majeſtatis SCVTVM totius EVROPÆ MAIESTATES feliciſſimo nexu adſtrictas collegit: ut in SCVTO Martijs liberorum Civium manibus ad caput Regni elevatas, plaudens Polonia adoraret, Orbis admirator ſuſpiceret. qui cum alioqui Regnorum & Regnantium potentiam in indiviſibili collocaret; hodie in unam Poloniæ, tot potentiſſimas Europæ gaudet inferri Majeſtates, & in uno Regno, Vniverſitatem Regnorum, Serenitatum compendium, Majeſtatum prodigium admiratur. Prodigioſus ſanè eſt Regalium arbiter connubiorum Hymenæus, plurium fortunas ſinè ullius iniuria, potentias ſinè æmulatione, Majeſtates ſinè excellentiæ ambitione, novit in unum colligere; poſſeq; evenire ipſo eventu docet, quod Orbis iudicio negabatur, conſenſum ſcilicet Majeſtatum, ſinè diſſenſu animorum. Id demùm inter majora maximis prodigia ſerò ſecutura ſæcula recenſebunt, Sereniſſimi Veſtri Hymenæi ingenio, artificio amoris, tot, tantaſq; Majeſtates in unum coaluiſſe, in unoq; connubio, tot Regnorum icta fœdera, tot gentium

&

& populorum ſponſalia celebrata. Nihil jam ad REGNATRICIS DOMVS gloriam, nihil ad Polonæ gentis felicitatem addi potuit coronato Sarmatiæ CLYPEO: una hæc fieri potuit acceſſio: ut quem victoriofis ſudoribus empta illuſtravit Serenitas, quē orbis Chriſtiani trophæa ſuper Regna & Populos extulerunt: eum propugnatorē Europæ, Europææ Majeſtates coronarent. Occupant jam Principem ſuper Regali VMBONE locum IMPERIALES MAIESTATES ad quas ſtirps NEOBVRGICORVM PRINCIPVM Sereniſſima à LVDOVICO & RVPERTO, ejuſdem Sereniſſimæ ſtirpis Aboriginibus ſublimata, in illis tot Ducū, quos Orbis adoravit, Auguſta efformavit cunabula. Iungunt Imperiali Regiam Majeſtatem OTTHO Hungariæ, CHRISTOPHORVS Daniæ, potentiſſimi Monarchæ, Neoburgicæ Auguſtæ ſtirpis coronata decora. Adſunt virtutis & honoris ingenio contextæ Eminētiſſimorū CARDINALIVM Purpuræ. Adſunt innumera Archipræſuleis Præſuleiſq; tiaris inſignita nomina. Radiant & coronato ingeminãt ſplendore diem, tot Magnorum Imperij Electorum gloriâ Auguſtæ, virtute, & Heroicis facinoribus Sereniſſimæ curules: quibus Sereniſſima Neoburgica Domus velut Regia ſolis, innumeris planè vijs in orbem univerſum paludatam diffundit ſerenitatem. Vnum præ reliquis nomen adora Polonia, cui tot nominibus hodiernam debes felicitatem: Te loquor Sereniſſime PHILIPPE VILHELME Comes Palatine Rheni, fortunatiſ-

ſimæ Neo-ſponſæ Pater fortunatiſſime. In Te, ceu in fontem Patritiæ lucis, Imperatoriæ, Regiæ, Ducales, Purpuratæ à Regio ſcuto reflectuntur ſerenitates: ut novæ lucis acceſſione intenſæ, copioſiùs, in Orbis totius fundantur hilaritatem. Quamvis enim invida Fortunæ noſtræ fata, Te communi omnibus ſerenitatibus involvêre caligine, nihilominùs parte Tui meliore, fatis inacceſſam, hodiernæ Serenitatis coronariam occupas Majeſtatem, cui ſera inſcribet poſteritas

Hic vel coruſco ſe prope ſiderum
Curru locavit, vel propior Deo
E nube reclinis curuli
Sub pedibus ſua fata cernit. *Sarb:*

Quid memorem tot Comitum Palatinorum, Principum, Marchionum, vicina Cœlo nomina? ſparſa per orbem trophæa? titulos auctos titulis? faſces faſcibus cumulatos? Ducales mitras lectis per regna laureis coronatas? quæ omnia Princeps Hymenæus in Sereniſſima Ducum Neoburgicorum domo veluti in Auguſta honoris, & virtutis Baſilica, ut reperit: ita ad orbis Chriſtiani ſolatium, ad Barbarorum terrorem & livorem, ad perennem Nominis Poloni felicitatem, ſuper Avitum Tuum IACOBE Principum Glorioſiſſime reponit SCVTVM. Sed, quæ me iterum in memoratas laudes revocat Majeſtas, memoratorum Numinum omnes in ſe complexa Serenitates? Agnoſco Majeſtatem tot Majeſtatum Parentem, adoro fæcundam Principum Matrem ELISABETHAM AME-

AMELIAM Sereniſſimæ Neo-ſponſæ fortunatiſſimam Parentem. Huic Auguſtæ terreſtrium Deorum Dearumq; Matri debet Polonia tantæ acceſſionem felicitatis, debet tot Majeſtatum Coronam. Et quidem in hanc Coronariam noſtræ proſperitatis tæniam, Sereniſſimi Neo-ſponſi Majeſtas ſe gratioſiſſimè inflectit, atq; accommodat. Orbem Coronarium pretioſis virtutum ſuarum gemmis Neo-ſponſa diſtingvit, quas Parthenius iſte Pactolus copioſè ſuppeditat. Gemmas deniq; corda diſcriminant, quæ obſequioſo cultu liberi populi proponimus. Non auro & gemmis ſolùm, cordibus quoq; Auguſta hæc Majeſtatum Vniverſitas coronetur: quam fundator erexit Amor, Regales Imperialeſq; affectus & fædera roborarûnt, faventes Superi æternitate muniverunt.

Decebat profectò lectas per Orbem Chriſtianum Majeſtates ſuper illo Scuto reponi: quo tot Regum Sangvine firmata Regnorum fædera, tot auguſta ſponſalia coronarentur. Decebat geniales ignes, non aliunde accendi, quàm ex concentratis Orbis Chriſtiani Serenitatibus: in tædas nuptiales confluentibus Ducum, Regum, Imperatorum gentilibus Ceris. Inter hæc luminaria, SERENISSIMI NEO-SPONSI, Principum imò & Regum Parentē Thalamum Veſtrum collocat Hymenæus, quem, ex univerſis Europæ Majeſtatibus efformavit, Regali Scuto graviores ipſis Majeſtatibus ſpes populorum ſuſtentante. Semper enim non interrupto nexu Principum ſolijs ſpes populorum adhærent: amplitudoq;

Serenitatis, publicæ felicitatis eſt menſura. In quam igitur ſpem Polonum? in quæ auguria Chriſtianum Orbem excitat Veſtrarum amplitudo Serenitatum? Majeſtas Veſtra tot Majeſtates complexa? Nunquã equidem abſq; publicarum proſperitatum comitatu, Polonorum Principum thalamos intraverunt Sereniſſimæ Sponſæ. Iiſdem, quibus regnaturæ Principes, & ſalus & pax jugalibus, toties invecta Poloniæ. Vidimus Auſtriacam Sarmatico ſolio adjungi Majeſtatem, adoravimus Imperialibus Aquilis ad Thronum Poloniæ provectam CÆCILIAM RENATAM, & Matrem reperimus: ex qua ſæculorum deſiderijs expetita proles, Pax ſcilicet & Fortuna Regni naſceretur. Spectavimus Ducum Mantuæ & Niverſi mitras Sarmatico Diademati, LVDOVICAM MARIAM VLADISLAO, Fortunã ſcilicet Marti Polono copulari: & quam RENATA pepererat, Gentilitijs Galliarum Lilijs, pacem Poloniæ (nè quid in Regno non Regium eſſet) MARIA coronavit: Cernimus & hodie in Throno Noſtro ſeris Nepotib9 ſpectandam & adorandam Majeſtatem, Reginarum Coronam, *Piarum, Felicium Principum* Archetypum Sereniſſimam MARIAM, & pacem quâ fruimur, fortunam quâ beamur, gloriam, quâ millena Orbis implemus ora, fructum MARIANÆ cenſemus MAJESTATIS. Adeò cognata eſt Majeſtatibus Principum, proſperitas populorum: ut nec magna Corpora ſequacis umbræ, nec illæ ejuſmodi ſatellitio privari poſſe videātur. Quas demùm nubes è vultu

Patriæ

Patriæ tanta non pellet Serenitas? quid non fortunatum efficient Majeſtatum Veſtrarum Comites proſperitates? Si quando celebre, nunc profectò uſq; ad prodigium Dives æquè acGlorioſum Connubium eſt, in quo tot Regna fiunt dotalia; quot Regnatrices in dotem veniunt Majeſtates. Hæc Tibi debebantur ſpõſalia IACOBE Principum Fortunatiſſime, in quibus ad regnandum natus, tot tantiſq; Majeſtatibus deſponſareris. Nec alia par Tibi Sponſa poterat inveniri, niſi hæc Auguſta: quæ Imperatoribus affinem, Regibus cognatum, Ducibus planè innumeris congenitum Sangvinem & gloriam dotalem adferret. Gemmam ego hanc dixero in Erythræo Imperatorij, Regij, Ducaliſq; Sangvinis à Principe Hymenæo inventam; illi annulo, qui eſt Cordis Corona inſerendam: tot Regnorum pretio æſtimabilem, quot Regibus Sponſa tua Sereniſſima eſt cognata. Vnionem putârim Pantabræ, gemmarum & naturæ prodigio, perſimilem: ut enim ille innata vi circumjacentes undiq; contrahit, quibus ſuperincumbat, & ſupereminent gemmas: ita hæc Tua Sereniſſima, Auguſti virtute Sangvinis, tot Majeſtatum gemmas in Regale colligit SCVTVM: inter quas, ignes velut inter luna minores, trabeata eminens Serenitate; pretioſam, felicem, glorioſam Orbi Polono diem affundit.

Continuent ſuperi pleno Lechæa *favore*
Claud: *Gaudia, ſucceſſuſq; novis ſucceſſibus addant.*

Tu verò Princeps Hymenæe, promove eum, quem amor noſtrarum Serenitatum exacüit ſtylum, & Regnatori Clypeo primùm domeſticas inara Majeſtates.

MAIESTATES DOMESTICÆ POLONIARVM

In SCVTO Serenissimi NEO-SPONSI fortunato Hymenæi artificio efformatæ.

DEbetur in domestico Sarmatiæ nostræ Protectore CLYPEO, primus Domesticis Maiestatibus locus, primaq; linea. Vt quæ in Martis campo, etiam extra Patriam triumphalis primatum laboris semper tenere contendebant: intra Patriam, in triumphali Regalis IANINÆ Campo, tenerent Primatum Maiestatis. Neq; alteri convenientiùs operosi huius artificij principium est consecrandum; quàm Patrio Iovi, & domesticis Dijs Præstitibus atq; Consentibus. Frustra Herculeos nimia sui ostentatrix iactat antiquitas labores; quibus in vanum desudâsse, nova fuit orbi monstra produxisse, non confecisse. Ille solùm labor merito laudis præmio dignus censendus est, non quẽ detractæ domitarum exuviæ belluarum, ridendumnè an laudandum! orbi proponunt: verùm quem elaborata Principum Majestas loquitur, expressa gloriæ virtutisquè effigies ab interitu seræ vindicat posteritatis. Frustra fumosas, famosasq; imagines, emortuas Patrũ ceras veteris Romæ præsentat ambitio: si illæ in filijs non spirant redivivæ. Frustra Græcia Clypeos, par-

masq;

maſq; oſtentat: quibus Vlyſſes Delphinem, Cadmus Draconem, Agamemnon, & Antiochus Leonem, planè nobiles belluarum exuvias iactabundi præferebãt. Puerorum hæc terriculamenta non virorũ, omnis ætas rideret: niſi ipſi Heròés apparerẽt in hoſtiles cuneos

Invecti, Clypeoq; animoſi teſte Leones. *Claud:*

Noſtri Sarmatici HERCVLIS vel potiùs IOVIS STATORIS Marte utroq; potentis CLYPEVS, non belluarum, ſed Bellicoſarum Majeſtatum cælaturas admittit. Nec alias picturas patitur, præterquâm illas, quas & pudoris, Sangvinisq; devictorum hoſtium rubor purpuratas, & amantium Civium candor effecit candidatas. Solus hîc ſincerus virtutis color eſt; nec alias duci amat lineas; niſi quas ad normam meritorum directrix Gloria efformavit. Mendicatis è vetuſtis ruderibus ſæculorum non eget prototypis; cui non fumoſæ, verùm Sereniſſimæ Domeſticæ non deſunt imagines. Ille ſolùm.

Parmâ inglorius albâ *Æn: 9.*

notetur: quem aut hæreditarius Maiorum Sangvis non depinxit, aut propria Heroa virtus hoſtili murice non purpuravit. Regalem CLYPEVM Regia Sãgvinis & Virtutis ſemper depingit Maieſtas. Et iam prima hîc maximorum orbis Principum, & omnium Majeſtatum Imago, abſolutiſſimaq; Idea eſto,

MAIESTAS

Sereniſſimi, ac Invictiſſimi IOANNIS III Poloniarum Regis Orthodoxi cum Immortalibus Triumphis & æviterna nominis gloria in hæreditatem Paternam Sereniſſimo FILIO

MAjeſtatem, quam barbarus nuper Oriens ſuo caſu adoravit, ad cuius aſpectum Ottomannica Cynthia expalluit, ſuperba Thracia contremuit, Princeps Hymenæe, in Principe Scuto efformaturus: teneram primùm tuam transforma dexteram. Non molli etenim Apellis manu, vel levi Protogenis brachio, illa Regum Principumvè pinguntur geſta; quæ Virtus perfecit; Gloria expreſſit; Immortalitas ſecuturæ propoſuit poſteritati. Herculeis opus hîc lacertis: ut quæ pridem victore gladio, hoſtilibus (ceu prototypo cuidam) impreſſa cervicibus, attonitus orbis ſuſpexit: ea nunc in Regium tranſlata VMBONEM, univerſa Europæ Majeſtas legat; ſubiectio prono poplite venerabunda adoret. Is quippe Regiarum Genius Virtutum eſt: ut non niſi ab æqualibus exigat admirationem; ſubditis verò ſui imperet venerationem. Age

iam,

iam, metire vastum Principis CLYPEI Campum, ut in hoc ipso centro, quod virtus designavit, Invictissimam primùm Serenissimi Patris IOANNIS III Orbi exprimas Maiestatem; in qua simul avitæ Virtutis patriæq; Gloriæ hæredem consignes Serenissimum FILIVM.

Procul umbræ.

Serenissima Imago hæc, non alias amat;

Nisi quæ virtutis, ceu umbra solis, pedisequæ sunt.

Obscurũ Mãtuani vatis ænigma suas hîc amisit tenebras;

Dum à collectis in Principe SCVTO radijs lumẽ ac-
(cepit.

Dic, quibus in terris inscripti nomina Regum
Nascantur flores?

Regium hunc VMBONEM specta.

In quo

Nomina Regum,

In uno IOANNIS III inscripta leges NOMINE.

In eo,

Antecedentiũ Cõpendium, Præsentiũ Gloriá, Normá
sequentium

Specta, & mirare.

Singulare hoc nè dixeris Nomen,

Quod pluralitatem significat virtutum.

Et licèt unum sit,

Pluribꝰ tamen suam dispensat Maiestatem.

Quantò gratiosius & facilius suis IOANNIS Nomẽ;

Tantò barbaris difficilius.

Quod ut citiùs disceret Ottomãnus;

Ferro imprimi debuit.
Et ut profundiùs barbaro eius capiti hæreret;
Cervicibus victore gladio inſculptum eſt.
Vſq; adeò inconceptibile Nomen hoc;
Vt ſæpius hoſtis caput priùs amittere debuerit;
Quàm illud cæperit.
Sæpius malè doctus Biſton ad Chotimum, Viennam,
Parkanum, Strigonium,
alijſq; in locis ſine numero,
Illud declinare voluit;
Sed nunquam potuit.
Et vagus ille ultra Tyram, & Boryſthenem Scytha
Quoties idem tentaverat;
Toties barbarus grandem commiſit barbariſmum:
Solo non niſi, in temerarij auſùs pœnam, proprio effuſo
delendum cruore.
Didicit iam correctus,
Terribile IOANNIS III Nomen,
Nullis eſſe hoſtibus declinabile.
Robore bella gerit, caſibus ergo caret.
Quod igitur Oriens declinare non potuit,
Totus orbis nunc legat.
Inſcriptum Regio SCVTO Nomen:
In quod unum,
Omnium Vniverſitatem Maieſtatum Sarmatia collegit.

MAIE-

MAIESTATES
Serenissimorum Poloniæ Regū Prædecessorum.

ALtiùs eundum est: etiam inter mortuales umbras Serenissima tamen Sarmaticæ Maiestatis Ectypa, neq; indecoro mortalitatis inspersa pulvere, in Principem transferenda Vmbonem. Vastus illius Campus est. quem ut primùm gloriâ calcar aptante, Virtus decurrit; non universæ duntaxat Polonæ Maiestatis, sed totius Orbis Maiestatum Vniversitatis capacem esse declaravit. Æmula nimirùm divinitatis Principum Indoles est, angustis nequit comprehendi terminis, ultra quos omnem omnino virtutis attingit mensuram. Pusillus animus ille, quem Domi nata circumscribit gloria, neq; unquam pygmæo gressu eò adrepere valet, unde Giganteus Principum passus, virtutis iter solet inchoare. In Regalis SCVTI *Campum* omnis Principum nostræ Sarmatiæ prodit Maiestas; ut quæ fatali licèt, immortali tamen cupresso inscripta pridem legitur; meliùs posthac in Regio spectanda Clypeo, ipsi porrigatur æternitati. Quorum pridem in se virtutes expresserat; eorum etiam Regnator hic Clypeus refert imagines. Quanquam ipsam in se virtutem expressisse, veram imaginē efformâsse est. Hæreditarium hoc nimirùm virtus Principum habet, ut suum omnia trahat in colorem; illamq; solùm suâ dignam Maiestate, purpuram reputet; quam vel æmula

Maiorum gloria, pretiosiore, quàm Tyrio, quia non peregrino tinxit Sangvine: vel fuso è cervicibus cruore victus hostis coloravit.

Spectator iam adsit Orbis.
Ad actum invitat Polonia,
Non tamen actum actura, sed acta exhibitura.
Ad oculum scenas proponit.
Quas ut magis patheticas faceret;
Serenissimas esse voluit.
Vniversa *Lechiæ* Maiestas pulchrum spectaculum est.
Primam in *Lecho* Parente repræsentat fortunam,
Quam, quia Coronatam hodie invenit:
Ducalem Regali ancillari voluit.
Visimirus Xerxe maior
Non Hellespontum, sed ipsos maris Dominos in vinculis trahit.
Novus Sarmatiæ Hercules *Cracus*,
Polonum sustentat Orbem,
Cui *duodecim Atlantes* succubuêre.
Etiam imbellis sexûs personam in *Venda* spectabis;
Errare tamen cave; cum in fæmina virum cernes.
Militares trium *Lesconum genij*,
Prodiga *Piasti* liberalitas,
Zemoviti Martij laboris patientia,
Zemomisli felicitas,
Christiana *Mieciſlai primi* Religio,
Chorum agunt.
Cui ne suus deesset saltus,
Venda fecit,

Pulsans

pulſans pede libero non Tellurem, ſed ipſius *Viſtulæ* fundum.

Acutum fraudulentus *Leſcus* dedit interludiũ:
Cum Sarmatia, Orbis univerſus riſit
Ferri, ingenijq; acumina.
Alterum inchoat actum
Coronata iam in *Boleſlao Chrobri* Lechiæ Maieſtas:
Caſimiri primi continuat religioſa pietas:
Krivouſti, Criſpiq; Boleſlaorum magnæ perficiũt animæ:
Nigri *Leſconis* candor, Magni *Caſimiri* magnitudo
ad menſuram nominis excreſcens conſummat.
Et nè huic quoq; actui chorus deſideraretur:
Eum agendum ſuſceperunt (dor.
Caſimiri Iuſtitia, *Boleſlai* Audacia, alterius *Boleſlai* Pu-
Interludium cæca cum *Leſcone* exhibet Fortuna,
receptum toties quoties reſtituens diadema,
puero colluſit Principi.
Aſt ubi virilem eius ſenſit animum;
Candido tandem coronam comprobavit calculo:
ut vel ex hoc fortunæ candore
Album illum Sarmatia nominaret.

SEd iam auguſtior, quia Litvano aucta Principatu in VLADISLAO IAGIELLONE Maieſtas Lechiæ, oculum, animumq; rapit ſpectatoris. Videre eſt triumphali Poloniam inſidentem eſſedo, ſolâ feliciter hactenus victrici vectam Aquilâ; cui Litvanum VLADISLAVS Equitem commodavit: SIGISMVNDVS AVGVSTVS pulchro fædere ſociavit: ut ex utroq; Cæſar Polonus, non ſola aſtra, ſed &

 terras

terras victorijs metiretur. Dabit hic grande VLADISLAVS III ſpectaculum, & quale Roma non vidit in Curtio, Varna in ſuo Principe ſpectavit. Nimirum Romanus ille, ut os terræ clauderet, in offam Cerbero ceſſit: Hic Polonus Princeps, ut hoſtes cadēdo obrueret, victima Deo pro Patria cecidit. Magni perſonam animumq; Alexandri ſpectabis in ALEXANDRO; quatuor Regum Divorumq; Parentem in CASIMIRO SECVNDO adorabis: Martē Apollini, Bellonam Palladi ſociatam in IOANNE ALBERTO admiraberis, Hic Martius BATHOREI Genius, veterana SIGISMVNDI III virtus, VLADISLAI IV Fortuna, IOANNIS CASIMIRI æquanimitas, MICHAELIS pietas, ſuas egregiè etiamnum agunt perſonas. Et quæ orbem univerſum in vivis ſpectatorem habuêre, poſt fata attonitum, in ſui rapiunt venerationem. Verùm quid fruſtra Sereniſſimas, de pulvere mortalitatis excitas umbras Hymenæe? ab umbris ad præſentem veritatem ſpectatoris oculus eſt pertrahendus. In Regalis CLYPEI Theatro, dum Sereniſſimi IOANNIS III exhibes perſonam; unà compendioſam totius Maieſtatis Polonæ Epitomen proponis. Huc præcipuè Oriens ſpectator adſit; in una Principis noſtri perſona plures ſpectaturus actus: tot fatales regnis Ottomānicis editas tragædias; quot cladibus, triſtiq; Thracum atq; Getarum fine terminatas, videbit. Spectabit ad Chotimum, Viennam, Parkanum, Strigonium, aliaq; complura loca Martialem capitum barbarorum

ſaltum;

ſaltum; ad quem nuper ingemuit Ottomãnus, ſubriſit Polonus: cum floridam Aſiæ iuventutem, ceu depontanos ſenes, ipſorummet erubeſcens cruore Tyras & Danubius, ſuis vorticibus occultaret. Verùm non priùs barbarus ad numeros armorum noſtrorum didicit ſaltare; quàm innumeros potentiſſimæ Principis noſtri Dexteræ tactus ſenſiſſet. Vitioſum circulum toties commiſit; quoties turpi fugâ ex Martis circo exceſſit. Epilogum actûs huius alium nè expectemus; niſi quem, fatali hoſtibus cataſtrophe, fortunatiſſima Regis noſtri Manus imponet. Profectò immortalis invictorum Regum Principumq; gloria, alio fine ſuas victorias nequit terminare, niſi illo, quem ſola interminata Immortalitas deſignavit.

MAIESTATES Magnorũ Exercitûs Poloni Imperatorum, quorum Virtus cum avito Sangvine in SCVTVM Sereniſſimi NEOSPONSI transfuſa eſt.

SVperâſti iam arduam totoq; Eloquentiæ regno maiorem Spartam Hymenæe; dum Magnum IOANNEM & tot auguſta Sarmatici Orbis Numina, in Tutelare ſalutis publicæ SCVTVM felicior Phydias

 trans-

transtulisti. Adde hoc non postremum æterno labori decus; & aude, quàmvis fatigato Divis Maiestatibus stylo, laureata Bellatorum tempora non sine sensu venerationis inarare. Tum demùm in temporum fastis, optimâ inertem tui oblivionem confixurus victoriâ: cum magnas animas, in baiulo æternitatis VMBONE, ad universæ posteritatis inscripseris recordationem. Pateant hîc Martiâ conspicui Maiestate vultus! ZOŁKIEWIORVM, SIENIAWSCIORVM, RADIWILIORVM, OSTROWSCIORVM, WISNIOWIECCIORVM, CHODKIEWICIORVM, POTOCCIORVM, KONIECPOLSCIORVM, cæterorumq; omnium, quos unquam Polonus, & Lituanus Orbis, in utriusq; Palladis arena, Duces Consilijs & Marte potentes adoravit. Hi omnes, universa Sarmatiæ nostræ decora, per translatas Sangvinis & affinitatis lineas, in SOBIESCIANVM SCVTVM unà secum transtulerunt. Hi belli Imperatores, bellicâ fortunâ magnis regnorum Imperatoribus non inferiores; nisi quod infra fortunam solij, sceptriq; fuerint. Si tamen communis illa Martij populi conditio inferior solio est, *eligere ex omnibus, qui imperet omnibus;* regere legibus Reges, ut bene; defendere, ut diu dominentur: & quod deniq; beatissimum in imperio Plinius censuit, *cogi non posse.* Parum enim interest; utrùm ipse regnatore ex throno veluti ex specula per subiectas latè provincias dominatricem dispenses Serenitatem? an verò Reges, ut Serenissimos Regnorum Soles voce

tua

tua iubeas, conſtituasq;? eò beatior; quò faciliùs alijs dare, quàm pro te accipere regnum velis, ipſis Regibus imperaturus. Id demùm planè Polonum eſſe Majores noſtri exiſtimârunt: aureum regni pomum non proprio invidere palato, ſed maiore ſupra omnem ambitionem indole, alijs donare. Vt qui ad ſuſtentandum orbem Sarmaticum cœlo ferendo non impares adferrent humeros: in Herculis tamen verticem, quaſi reverentiâ feſſi Atlantes, illum reclinarent. Is erat omnino Regius Divorum Principis noſtri Progenitorum animus, qui illos Fortunatos ſine Regno Reges hoc ipſo effecerit, quòd Sangvinis ſui, purpurâ, & tot Laurearum coronâ conſpicui, vitam Regum ſuorum regniq; fortunas ſtrenuè tuerentur: qui illos, hoc ipſo maieſtate thronoq; omni ſublimiores, reddiderit; quòd in firmamentum Maieſtatis, & throni Poloni ſtabilitatem mortuales ruinas immortali animo ſibi imperaverint.

Regum Serenitatem diſpenſant cives,
planè quot ſidera; tot ſoles.
Noctis amica Thraciæ Luna obtenebreſcet.
Fugant noctẽ Ducum OSTROWSCIORVM ſplen- (dores:
Avita in Polono cœlo LVNA,
Multùm favet diei, nihil nocti.
SIENIAVIANA. WISNIOVIECIANA ZBARAWSCIANA Sidera,
bonæ diei nuntia ſunt.
CHODKIEVICIORVM GRYPHES,

 quàm

quàm pretiosi auri custodes!
In aureæ libertatis & religionis defensionem invigilât.
Atq; post depulsam Lunam, bonum mane exhibent:
quia ex profuso Sangvine hostili, purpuream
Felicitatis nostræ auroram;
Et cum illa, universæ Sarmatiæ aureas horas.
Corrigant sæcula veterem illam paræmiam;
Sol spectatorem non habet, nisi dum occidit:
RADIVILIANÆ AQVILÆ oculus,
etiam in ortu & in meridie, indefessus solis gloriæ spectator est,
Simul & actor.
Quod enim in capite cæli, sol universi oculus,
Hoc in capite Poloni Senatûs, oculus Alitis RADIVILIANI agit.
Verùm Tua maximè Serenitas
Vel ab ipsis fatalibus umbris elucet illustrissima,
Maxime Bellatorum ZOŁKIEVI:
Arma *Crucis* in hostes *Crucis* tulisti:
Quos ut solidiùs premeres;
Tuâ *Soleâ* calcâsti.
Signâsti trophæo Crucis Limites Polonos:
Vt munimentum & securitatem provideres,
à Sagitta volante, & dæmonio meridiano:
ab illis nimirum semi-hominibus
ut nomine, ita re, Tartaro affinibus Tartaris.
Triumphâsti casus; quia non declinâsti.
Stitisti Sarmatiæ fata, vel dum caderes:
Quæ vivus averteras, moriens obruisti.

æquæ

Æquè ruinâ, ac ſtatione magnus;
Vitâ, mortalitatis, morte, immortalitatis ingreſſus es
IMPERATOR ſtationem.
Graviorem vindictam ut leviùs ſpirare poſſes;
corporis impedimenta exuiſti.
Non eſt tibi fatiganda ampliùs terra
Voce illa vindictæ:
Exoriâre aliquis noſtris ex oſſibus ultor.
Habes vindicem invictus AVVS invictiſſimum NE-
POTEM;
qui impreſſa triumphalis SOLEÆ TVÆ veſtigia
ſæpiùs preſſit toties Triumphator.
Et in hac ipſa terra plurimas meſſuit Laureas;
quam Tu pluvio Sangvinis irrigâſti imbre.
Numera demùm, Sarmatia, alias quasquè Serenitates,
ſparſas per omnia Principum Familiarum decora:
et quaſcunq; ſupra communẽ lucẽ aſſurrexiſſe videris;
omnes Regias eſſe ſcias;
REGI NOSTRO veluti radios ſoli affines.
Imò omnes in hoc Rege Maiores eius
ſpecta Sereniſſimos.
A quibus ille accepit ortum; ijs reddidit meridiem.
Dedit Maioribus ſuis Magnitudinem:
dum Omnibus illis Maior
Omnes fecit Maximos.

MAIESTAS
Ipſius Sereniſſimi NEO-SPONSI.

IN Te demùm, NEOSPONSE Sereniſſime, tanquã in AVGVSTI PATRIS TVI ſpeculum, magnitudinis Paternæ Imagines confluunt: in Te, tanquam in COR REGVM omnes tot Regum Anteceſſorum concurrunt Maieſtates. In Te, veluti in PVPILLAM PRINCIPVM, omnes tantorum Principum Serenitates; veluti in concolorem tot ſiderum gemmam, ſplendores Maiorum Tuorum colliguntur. Quotquot Illuſtriſſima Lechici Poli ſidera, quotquot Sereniſſimi Regnorum Planetæ Tuæ præluxerunt Serenitati: tot redivivas nunquam emorituræ lucis imagines Regali Tuo SCVTO excepiſti: ut Tu omnium Serenitatibus appareres Sereniſſimus: ut omnium Maieſtates in Paterno Tuo CLYPEO elevatas portares; ut eodem CLYPEO collectas, & pectori Tuo appreſſas, omnium animas unus ſpirares. Circumtulerat olim victoriarum ſimulacra ambitioſo ferculo Antiquitas, nequicquàm conata Romanam ſatiare arrogantiam: Tu citra modeſtiæ iacturam Sereniſſimo VMBONE Gloriam Maiorum Tuorum tot ſeculis fatigatam excepiſti: ut communi eruta temporum fato, æternitatis iam civis & incola, nepotum exempla irritaret: atq; tot numinum pediſequa, in hoc armigeri Iovis Sarmatici pulvinari ſuaviter quieſceret; utpote in eo, cuius vel ipſa umbra tot gentium pacem, popu-

populorum quietem, universæ Poloniæ dignitatem protexit. Quantùm tibi debent MAIORES TVI; qui illorum exempla Tuum compendium fecisti. Tãtorum Numinum hæreditatem non consumpsisti prodigus; sed consummâsti gloriosus: verè IACOBVS; dum sic citra invidiam naturæ quodammodò supplãtâsti; ut inclytus tantæ Stirpis Surculus, Augustam Radici influeres nobilitatem, quam à radice felicia magnarum arborum membra traduce Fortunâ in suas derivare propagines consueverunt. Omnia in Te summa sunt; & tamen absolutam novo laudis incremento dissimulas, seu potiùs dissimulando coronas magnitudinem. Emines, sed multùm illis dissimilis; qui ubi in culmen evaserint, infra se omnia despiciunt; quasi omne periculum humanæ sortis triumphâssent; cùm illud nè quidem effugerint. Tibi longè alia mens est, ut omnis ignara fastùs; sic huius nunquam conscia vertiginis. Ignoras magnitudinem Tuam, nec vis pro merito coli; hoc ipso tantò propior Paterno fastigio; quantò ab ambitione remotior. Profectò ut ad æternitatem Nominis Tui, ita ad Paternæ gloriæ hæreditatem unicum id sufficeret; prognatum Te esse Parente Iove, Maximo Regum IOANNE III. Verùm Tu pretiosam Generis Fortunam, Parentumq; immortalia facinora, non quidem ex illustri posterorum censu proscribis; succenses tamen ijs, qui lucentibus Maiorum ceris obscuri, personatâ avorum assistentiâ stipati, attamen soli, nihil præter virtutum solitudinem incolunt. Promovisti ergo annos etiam minores

ad maturioris ætatis fructum. Et vix dum fari didiceras, cùm Te loqui lingvis multarum gentium, præludentemq; multorum populorum imperijs audivit, & obstupuit Sarmatia novum & feliciorem sui Regni Mithridatem. Rapuisti in admirationem etiam exteri orbis soles: dum magni Parentis Comes, non otiosus spectator, CLYPEVM ET COR CHRISTIANITATIS AVSTRIAM (sic eam cum FRIDERICO II Imperatore vocare placet) Tuo CLYPEO protexisti. Quis illum diem satis referat seculis augustiorem, parem æternitati? quo sibi noctē Ottomānicus planeta, Ecclesia verò felicem auspicata est meridiē. Mirari tum alia quæq; desiit mundus, ad solam Gloriosissimi Patris Tui attonitus Maiestatē, dum Luna in suo plenilunio fatale deliquium pateretur: & erraticum illud sidus, quod pluribus regnis Regibusq; noctē, ac mortuales umbras intulerat: ab obiecto Regis nostri SCVTO umbras, noctemq; acciperet, pluvio suorum Sangvine eclipsim suam augeret. Adstabas tum communi Gentium Sospitatori Augusto Patri Tuo novum generoso pectore accendens Martē: quo olim Paterna trophæa Tuis æquares: victorias victorijs cumulares; Fascibus imperia, factis fastos, fortunis secula, Nominis gloriâ orbem impleres universum. De Te non nisi Magna & Optima præsumit Sarmatia, sperat Senatus, Quirites præstolantur, Spem publicā, Spem augustam gratulatur Respublica, imò in una universus Orbis Polonia.

Iam ominare Sarmatia,

Ocu-

Oculus Poloni cæli, cor Leonis occupavit.
Benè ominoſa hæc conſtellatio
IACOBI feſtum exhibet,
& cum eo
aut Maium auſpicatur, ut Gratias,
aut Iulium, ut meſſem legamus,
Civium amori deſtinatam,
ad colliganda in manipulos eorum corda.
Nimirùm Princeps Poloniæ tot Principum Oculus
in NEOBVRGICI LEONIS COR penetravit,
utiq; in amoris Domicilium.
Ita ſanè oculi ſunt in amore Duces.
Regi Alitum Rex Animantiũ æterno fædere ſociatur.
Omen accipe;
atq;
ex oculo Aquilæ, providentiſſima,
ex corde Leonis, cordata,
ex Regibus Alitũ, & animantiũ, ſemper auſpicatiſſima,
ſemper fortiſſima, planè Regia,
cunctis Civibus Tuis
ominare tempora.
Et iam in Regali SCVTO *omnis benè navigat hora*,
utq; *Salus publica* ſecuriùs naviget;
alas Patriæ Volucris in vela aptabit;
ſceptrum porriget pro clavo
POLONIA.

Profectò habet Sarmatia, quod in ſuo Principe cum veneratione ſuſpiciat, quod amet, & exambiat. Habet metam Regijs planè Virtutibus conſignatam, ad

quàm pretiosi auri custodes!
In aureæ libertatis & religionis defensionem invigilát.
Atq; post depulsam Lunam, bonum mane exhibent:
quia ex profuso Sangvine hostili, purpuream
Felicitatis nostræ auroram;
Et cum illa, universæ Sarmatiæ aureas horas.
Corrigant sæcula veterem illam paræmiam;
Sol spectatorem non habet, nisi dum occidit:
RADIVILIANÆ AQVILÆ oculus,
etiam in ortu & in meridie, indefessus solis gloriæ spectator est,
Simul & actor.
Quod enim in capite cæli, sol universi oculus,
Hoc in capite Poloni Senatûs, oculus Alitis RADIVILIANI agit.
Verùm Tua maximè Serenitas
Vel ab ipsis fatalibus umbris elucet illustrissima,
Maxime Bellatorum ZOŁKIEVI:
Arma *Crucis* in hostes *Crucis* tulisti:
Quos ut solidiùs premeres;
Tuâ *Soleâ* calcâsti.
Signâsti trophæo Crucis Limites Polonos:
Vt munimentum & securitatem provideres,
à Sagitta volante, & dæmonio meridiano:
ab illis nimirum semi-hominibus
ut nomine, ita re, Tartaro affinibus Tartaris.
Triumphâsti casus; quia non declinâsti.
Stitisti Sarmatiæ fata, vel dum caderes:
Quæ vivus averteras, moriens obruisti.

æquæ

Æquè ruinâ, ac statione magnus;
Vitâ, mortalitatis, morte, immortalitatis ingressus es
IMPERATOR stationem.
Graviorem vindictam ut leviùs spirare posses;
corporis impedimenta exuisti.
Non est tibi fatiganda ampliùs terra
Voce illa vindictæ:
Exoriâre aliquis nostris ex ossibus ultor.
Habes vindicem invictus AVVS invictissimum NE-
POTEM;
qui impressa triumphalis SOLEÆ TVÆ vestigia
sæpiùs pressit toties Triumphator.
Et in hac ipsa terra plurimas messuit Laureas;
quam Tu pluvio Sangvinis irrigâsti imbre.
Numera demùm, Sarmatia, alias quasquè Serenitates,
sparsas per omnia Principum Familiarum decora:
et quascunq; supra communẽ lucẽ assurrexisse videris;
omnes Regias esse scias;
REGI NOSTRO veluti radios soli affines.
Imò omnes in hoc Rege Maiores eius
specta Serenissimos.
A quibus ille accepit ortum; ijs reddidit meridiem.
Dedit Maioribus suis Magnitudinem:
dum Omnibus illis Maior
Omnes fecit Maximos.

MAIESTAS
Ipſius Sereniſſimi NEO-SPONSI.

IN Te demùm, NEOSPONSE Sereniſſime, tanquã in AVGVSTI PATRIS TVI ſpeculum, magnitudinis Paternæ Imagines confluunt: in Te, tanquam in COR REGVM omnes tot Regum Anteceſſorum concurrunt Maieſtates. In Te, veluti in PVPILLAM PRINCIPVM, omnes tantorum Principum Serenitates; veluti in concolorem tot ſiderum gemmam, ſplendores Maiorum Tuorum colliguntur. Quotquot Illuſtriſſima Lechici Poli ſidera, quotquot Sereniſſimi Regnorum Planetæ Tuæ præluxerunt Serenitati: tot redivivas nunquam emorituræ lucis imagines Regali Tuo SCVTO excepiſti: ut Tu omnium Serenitatibus appareres Sereniſſimus: ut omnium Maieſtates in Paterno Tuo CLYPEO elevatas portares; ut eodem CLYPEO collectas, & pectori Tuo appreſſas, omnium animas unus ſpirares. Circumtulerat olim victoriarum ſimulacra ambitioſo ferculo Antiquitas, nequicquàm conata Romanam ſatiare arrogantiam: Tu citra modeſtiæ iacturam Sereniſſimo VMBONE Gloriam Maiorum Tuorum tot ſeculis fatigatam excepiſti: ut communi eruta temporum fato, æternitatis iam civis & incola, nepotum exempla irritaret: atq; tot numinum pediſequa, in hoc armigeri Iovis Sarmatici pulvinari ſuaviter quieſceret; utpote in eo, cuius vel ipſa umbra tot gentium pacem,

popu-

populorum quietem, universæ Poloniæ dignitatem protexit. Quantùm tibi debent MAIORES TVI; qui illorum exempla Tuum compendium fecisti. Tãtorum Numinum hæreditatem non consumpsisti prodigus; sed consummâsti gloriosus: verè IACOBVS; dum sic citra invidiam naturæ quodammodò supplãtâsti; ut inclytus tantæ Stirpis Surculus, Augustam Radici influeres nobilitatem, quam à radice felicia magnarum arborum membra traduce Fortunâ in suas derivare propagines consueverunt. Omnia in Te summa sunt; & tamen absolutam novo laudis incremento dissimulas, seu potiùs dissimulando coronas magnitudinem. Emines, sed multùm illis dissimilis; qui ubi in culmen evaserint, infra se omnia despiciunt; quasi omne periculum humanæ sortis triumphâssent; cùm illud nè quidem effugerint. Tibi longè alia mens est, ut omnis ignara fastùs; sic huius nunquam conscia vertiginis. Ignoras magnitudinem Tuam, nec vis pro merito coli; hoc ipso tantò propior Paterno fastigio; quantò ab ambitione remotior. Profectò ut ad æternitatem Nominis Tui, ita ad Paternæ gloriæ hæreditatem unicum id sufficeret; prognatum Te esse Parente Iove, Maximo Regum IOANNE III. Verùm Tu pretiosam Generis Fortunam, Parentumq; immortalia facinora, non quidem ex illustri posterorum censu proscribis; succenses tamen ijs, qui lucentibus Maiorum ceris obscuri, personatâ avorum assistentiâ stipati, attamen soli, nihil præter virtutum solitudinem incolunt. Promovisti ergo annos etiam minores

ad maturioris ætatis fructum. Et vix dum fari didiceras, cùm Te loqui lingvis multarum gentium, præludentemq; multorum populorum imperijs audivit, & obstupuit Sarmatia novum & feliciorem sui Regni Mithridatem. Rapuisti in admirationem etiam exteri orbis soles: dum magni Parentis Comes, non otiosus spectator, CLYPEVM ET COR CHRISTIANITATIS AVSTRIAM (sic eam cum FRIDERICO II Imperatore vocare placet) Tuo CLYPEO protexisti. Quis illum diem satis referat seculis augustiorem, parem æternitati? quo sibi noctē Ottomānicus planeta, Ecclesia verò felicem auspicata est meridiē. Mirari tum alia quæq; desiit mundus, ad solam Gloriosissimi Patris Tui attonitus Maiestatē, dum Luna in suo plenilunio fatale deliquium pateretur: & erraticum illud sidus, quod pluribus regnis Regibusq; noctē, ac mortuales umbras intulerat: ab obiecto Regis nostri SCVTO umbras, noctemq; acciperet, pluvio suorum Sangvine eclipsim suam augeret. Adstabas tum communi Gentium Sospitatori Augusto Patri Tuo novum generoso pectore accendens Martē: quo olim Paterna trophæa Tuis æquares: victorias victorijs cumulares; Fascibus imperia, factis fastos, fortunis secula, Nominis gloriâ orbem impleres universum. De Te non nisi Magna & Optima præsumit Sarmatia, sperat Senatus, Quirites præstolantur, Spem publicā, Spem augustam gratulatur Respublica, imò in una universus Orbis Polonia.

Iam ominare Sarmatia,

Ocu-

Oculus Poloni cæli, cor Leonis occupavit.
Benè ominosa hæc constellatio
IACOBI festum exhibet,
& cum eo
aut Maium auspicatur, ut Gratias,
aut Iulium, ut messem legamus,
Civium amori destinatam,
ad colliganda in manipulos eorum corda.
Nimirùm Princeps Poloniæ tot Principum Oculus
in NEOBVRGICI LEONIS COR penetravit,
utiq; in amoris Domicilium.
Ita sanè oculi sunt in amore Duces.
Regi Alitum Rex Animantiũ æterno fædere sociatur.
Omen accipe;
atq;
ex oculo Aquilæ, providentissima,
ex corde Leonis, cordata,
ex Regibus Alitũ, & animantiũ, semper auspicatissima,
semper fortissima, planè Regia,
cunctis Civibus Tuis
ominare tempora.
Et iam in Regali SCVTO *omnis benè navigat hora*,
utq; *Salus publica* securiùs naviget;
alas Patriæ Volucris in vela aptabit;
sceptrum porriget pro clavo
POLONIA.

Profectò habet Sarmatia, quod in suo Principe cum veneratione suspiciat, quod amet, & exambiat. Habet metam Regijs planè Virtutibus consignatam, ad

quam affectus Civium, ſpes Patriæ, vota Orbis univerſiolliment. Magnum enim animorum illicium, & potentiſſimus cordium Magnes, Regia Virtus eſt. Quæ, cum alibi vel peregrina, vel brevis inquilina, ad tempus hoſpitatur; tum in Regia noſtri Principis ſemper domeſticam, imò, nutritiam agit. Atq; hîc *virtutem Dominam quis neget eſſe domi?* Pleriſq; Monarchis exteriùs inquiruntur, qui deniq; in Patriam invehantur, propitij virtutum foci: Poloniarum Principibus cum Virtute naſci, proprium; ſine hac, lucem publicam ſalutare, magis utiq; eſt, quàm portentum. Infantilibus illa cunabulorum faſcijs illigatur, & cum materno imbibitur lacte: ut antè animus ad excelſa progenitus, in ardua magnanimitate ſolidetur; quàm imbecillæ teneritudinis artus virium robore in corporis firmitudinem coaleſcant.

Ades *Æneæ* noſtro Sarmatico *Aſcanius*,
Principum Gloria, IACOBE Sereniſſime.
Cui
in prima adhuc prætexta ſagum Virtus paravit:
atq; domeſticum CLYPEVM porrexit;
et in eo paternos *triumphos pugnataq; ex ordine bella.*
Lucina aliàs vel ex nomine ſuo lucida,
ad Sereniſſimum Natalis Tui fulgorem iam ſerenior:
in nutricis Bellonæ gremio Te adhuc infantem depoſuit Principem:
in quo
diſceres inter Purpuratas cunas, hoſtium cuneos meditari:
utpote

Qui

Qui in Regali SOBIESCIANO prognatus CLY-
citra fabulam Claudiani (PEO,
Reptâſti per Scuta puer.
Iam; ſi quibuſdam *Scutum, honoris lectus eſt;*
Tibi non niſi heroæ virtutis *cunabula,*
in quibus Leones naſcuntur ad prælia.
Oppoſuiſti nuper ad fatale Viennenſis prælij incendiũ
Regalem CLYPEVM,
Magnus Summo Parenti Tuo ad cruenta bella Socius.
Vbi,
Marti aſſveta Potentiſſimi Patris Tui Virtus;
ut irrequieto bellorum fragori aſſueſceres,
Te promovebat monitis, hortabatur exemplis.
Quanquam citra exempla, non deerat Sereniſſimus in
venas Tuas tranſfuſus Sangvis:
qui Te ad grandia heroæ Virtutis documẽta Animaret.
Calebat Martio Sangvine æſtuans
ad heroicos ignes animus:
in quo
ſpirabãt redivivæ Sereniſſimorũ Anteceſſorũ Animæ,
Invictiſſimi Parentis Gloria,
fæderatæ tot Principum Maieſtates.
Sed tunc parabantur Sereniſſimo Parenti Tuo Laureæ;
Tibi verò in Europei orbis theatro militiæ *prologus,*
a d feralem Cynthiæ Ottomannicæ *epilogum.*
Quæ proprio Sangvine rubuit; (buit.
ubi funeſtis cornibus Europæ viſcera rimari non eru-
ſcrutans Lauream, tumulum ſibi effodit.
Sed

tunc ſpectâſti Ottomannum, quem poſt venturis ſeculis duceres in triumphum.
Vidiſti, quem vinceres.
Cui, ut fortunato olim Regum, Gentiumq; Triumphatori Laureæ repullulent:
iam repullulant tot præciſa Orientalis belluæ capita
Victore olim ferro Tuo præſcindenda.
Hæc bellua Regnorum, populatore rictu ferox,
tot Regia Poma, & in illis
plurima regna iam pridem deſtinavit,
ad unicum inſatiabilis gulæ bolum.
Sed
efferata hæc rabies;
inter Martis cruenta bella, an bellaria? Mortis expectat ferculum.
Aſſurgunt hoſtium cervices,
quibus detruncatis, victorioſas implantes Laureas.
Lauris nutriendis nè vigor, & ſuccus deeſſet;
rubuit nuper Oriens ab Aurora ætatis Tuæ:
atq; copioſum Sangvinis ſui dedit imbrem;
copioſiorem adhuc appromiſit.
Itaq; tibi ſubiecta
capita hoſtium, pectora civium,
Gradus fabricant ad Gloriæ faſtigium.
Hos conſcende, & progredere:
Quò Te vocat ſpes Civium,
Quò fœderatorum Principum deſideria;
Quò Auguſtiſſima Vniverſitas Maieſtatum.

MAIE-

MAIESTATES Serenissimorum DVCVM NEOBVRGICORVM in SCVTVM Polonæ Maiestatis transfert Hymenæus.

A Polonis Maiestatibus ad Serenissimæ NEOBVRGICÆ, BAVARICÆq; Gentis Maiestuosas Serenitates, Tuæ artificiũ cælaturæ trãsferas, *Hymenææ*. Illi terrestrium Numinum vultus cœlo sunt exprimendi: quos celare nulla potest æternitas. Serenissima NEOBVRGICA Domus Divorum Cæsarum, Regum, Principumq; *Pantheon* est: ex quo, veluti ex pulcherrimo totius orbis Sacrario, Prima Pulcherrimaq; terrarum Numina prodiêrunt. Hinc Augustissimos Romanorum Imperatores in LVDOVICIS & RVPERTIS, Potentissimos Reges in OTTHONIBVS & CHRISTOPHORIS, hinc Fortissima Sedis Dei Vicariæ Columina, in tot Eminentissimis Cardinalibus, Archipræsulibus, Præsulibus cæterisq; Purpuratis, hinc Firmissima Romani Imperij Sustentacula, in tot Electoribus, Principibus, Comitibus Palatinis, Marchionibus, atq; innumeris Heroibus utraq; Pallade clarissimis, omnis ætas prodire vidit, & adoravit. Par Domus hæc Orbi, neq; cælo tam speciosis, & spatiosis orbitis extenso

minor est censenda. Illius Decora computare, par laboris prodigium est, atq; stellas cæli numerare. Sudabunt sub his plurimorum Oratorum capita; fatiscēt historiographorum calami; omnisq; vena ad tantæ Serenitatis Maiestatem confusa, clarissimo Gloriæ torrenti vix rivulum suæ tenuitatis opponet. *Hic labor, hoc opus* serò labentium ætatum erit. Nos verò ad eiusdem Domûs Serenissimas Imagines, in Regium Principis Nostri SCVTVM translatas votum figimus.

Omnia orbis vota in uno concludimus:
quæcunq; orbis integer accepit unquam, vel speravit;
Quidni uni Poloniæ nos speremus?
Nam in una Domo Orbis universus transiit in Poloniā.
Capit una Cæsares Domus, quos Orbis non cepit.
Vel in atrio Principes excubant;
sub quibus orbis quievit.
Ex Infulis Templum, ex Mitris Cælum putes.
Nec Aræ desunt, nec sidera.
Stellas verò numera, si potes:
cùm nullæ sint, omnes enim in SOLES excreverunt.
Nimirùm *quot Principes, tot sunt populorum soles, teste Plutarcho.*
De æternitate illorum nè dubita:
in occidente orti, occasum effugerunt.
Ignorat metā temporis virtus, quæ cōdidit æternitatē.
Quam locus non clausit, loculus tumulare non potest.
Hæc est Gloria Maiorum Tuorum Serenissima
NEO-SPONSA,
Magnitudinis suæ nullum terminum pati,
præter-

præterquam ipſius gloriæ interminatam æternitatem.
Iis Maioribus nata es,
Quorum Numine
adhuc in faſcijs coronarias faſcias numerâſti.
Notavit iam tunc oculus Tuus oculos mūdi in ſceptris.
Coronârunt Te Diademata Cæſarum;
quòd futura eras CORONA populorum.
Etiam Poloniæ Cælum in Te, veluti in Polo vertetur.
Novum exortum ſidus,
Lechiæ amoribus influes, at hoſtium timori.
Huius lucis influxu
Palmæ, & Laureæ adoleſcant
Paci & Marti.
Fructum dent ſuperi, & meſſem,
Gloriæ, & Fortunæ,
Te diu Sarmatis lucente.

MAIESTAS Fortunatiſſimi Parentis Sereniſſimæ NEO-SPONSÆ.

HAnc Auguſtam NEOBVRGICÆ Gentis Spartam, Tuo Numine agi, Divi Sarmatiæ Indigetes ſibi gratulantur, Sereniſſime PHILIPPE VILHELME, PRINCEPS, ELECTOR poſt triumphatam *Electorum* mortalitatem iam immortalitatis ELECTE. In Te Avitæ Domûs Fortuna ad

illud æmularum cælo Maiestatum fastigium assurrexit; in quo eam thoris thronisq; Regum, ac Cæsarum confidentē, subiecta Europa adoraret: atq; hodie in Gentilitio Serenissimi Poloniæ Principis SCVTO locaret, toti Orbi adorandam. Redit favente de cælis annutu Tuo, ad nativum solum soliumq; SANGVIS IAGIELLONICVS. Et cuius rivum per ANNAM IAGIELLONIAM Potentissimorum Poloniæ, Sveciæq; Regum SIGISMVNDI III Filiam, VLADISLAI IV & IOANNIS CASIMIRI Sororem, Tu olim deduxeras; hic modò fortunatissima unione Regnatrici SOBIESCIANÆ immistus PROSAPIÆ, in auream veteris seculi venam coalescit: unde pleniore alveo aurei inundandæ Sarmatiæ aquæductus deriventur. Idem, qui olim Hymenæus amplissimarum M. D. L. Provinciarum pretio divitem Vnionem, connubiali HEDVIGIS Poloniarum Reginæ annulo à IAGIELLONE insertum, Coronæ Regni indidit; Fortunatâ denuò unione, per alteram HEDVIGEM, IAGELLONICAM, SOBIESCIANÆ Gloriæ desponsavit Felicitatem: ut geminam connubij Festivitatem Polonia celebraret; alteram, quo Serenissimus *Poloniarum* PRINCEPS, Serenissimæ PRINCIPI NEOBVRGICÆ; alteram, quo Iagiellonia, adeoq; publica Patriæ Fortuna SOBIESCIANÆ fœderata nubit MAIESTATI; & sponsore æternitatis annulo in arrham dotalis Gloriæ consignatur. Non levia candidæ sortis auguria à Te Regni sui olim

Candi-

Candidato deducit Sarmatia: ita ſortem in Gentilitia Tua *Teſſerarum Tabula* adornante Cælitum ingenio; ut nato ad cognatas Coronas Vertici Tuo, regnum different Sarmaticum, coronatis olim Nepotibus deferendum: in quibus, citra æmuli fati invidiam ſuperſtes, ex immortalitatis ſolio, mortalitati iura dando, imperares. Purpura, quam Imperatoriæ ſortis & Conſortis, Filiæ IVSTINÆ auſpicem, IVSTO Patricio obiecit ſopor, in Te fidem poſterorum, ex eventu reperit: cuius Sangvine tot Cæſarum, Regumq; pro murice tinguntur Trabeæ; quòd KVNEGVNDES Imperio, MARGARITAS Hiſpaniæ, ELISABETHAS Portugaliæ, HEDVIGES Poloniæ ſuſcitâſti. Non invidemus iam Maroni uenerandum ſenio *ſceptriſq; Latinum*, & ex *Latino* prognatã Imperij Romani Matrem *Laviniam*: nec *Æneæ* per *Iulum* Auguſtos Nepotes *rerum Dominos, gentemq; togatã*. Faventior Lucinæ auſpicijs in domeſtico Abaco Tibi *iacta eſt alea fati*, tot Sereniſſimorum Filiorum coronâ redimito Patri; tot Cæſarum, Regumq; Socero; quorum connubijs non unam *Laviniam* ſociâſti; ut decreſcentes in Auguſtiſſima Domo AVSTRIACA, Imperatoris, Imperijq; ſpes ab Auguſtiſſimi IOSEPHI etymo accreſcentes animarent in florem, in fructus fœcundarent. Verùm hæc auſpicata per Lucinam in Imperium Romanum merita, armorum fulgor à Bellona Heroum baltheo illapſus abundè illuſtravit. Vtroq; Marte Princeps, utroq; Victor, ab oleis Imperij Pacificator, à Laureis hoſtium Triumphator, vectigalẽ

Imperiali Aquilæ herbam porrexiſti; cùm *Leoni Balthico* arrectis in exitium iubis erecto, DOMESTICI TVI robur opponeres; & turbidæ bellorum fluctibus Germaniæ, Sidus Pacis in Gentilitio Tuo LEONE accenderes. Inhorruerat ad infauſtum illud palabundi Cometæ aſtrum Imperialis Aquila; & impetito undiq; telorum grandine Imperij Corpori malè ominata, fatalem Maieſtatis caſum, Gloriæ occaſum opperiebatur: Orientis fortunam ſuo cum Occidente ſecutura; niſi ad ortum felicitatis à ſignis & Inſignibus tuis promicantem, palpebram reflexiſſet: In quibus pro ſalute ſua excubantes armatos *Leones*, & fortunatas citra naufragium *Tabulas* pro *Cæſaris Fortuna* excepit. At fruſtra operoſa in huius Principis panegyres Suada deſudat; cuius rectè factorum ſeriem ipſo cum Principe faſtis æternitatis cælites inſeruerunt. PHILIPPVS VILHELMVS

Fortunâ, par Maximis;
Gloriâ, Maximis Maior.
Genere, Auguſtus Cæſarum, Regumq; nec à Maieſtate degener Nepos.
Maioribus, uno Minor Cæſaris titulo,
Meritis, ſupra Cæſaris titulum, & fortunam, maior,
Solijs eminentem Natalium Magnitudinem
AVSTRIACA, HISPANICA, LVSITANICA, POLONICA *Maieſtatum* cognatione auctam,
Vltra fines Evropæ, & ipſos Magnitudinis terminos protulit.
VLADISLAI IV Invictiſſimi Poloniarum Regis *oraculo*, *Prin-*

Principum ſæculi ſui Phænix:
quòd Principis dignitatẽ unus è dignitate ſuſtineret.
Regni Poloniæ Candidatus
â candidis Aquilis auſpicium, â IAGIELLONIIS
dotibus ſortitus calculum,
Regalis coronæ Sceptriq; aurum, quod PIASTI
iteratam depoſceret operam;
in notas PIASTI curas & manus depoſuit:
Atq; liberæ gentis ſuffragia Electo MICHAELI ce-
Regnum mereri maluit, quàm ambire. (dẽs
Demûm ut optimè de ſe meritæ Sarmatiæ meritorum
præmia cumularet;
illatas per ANNAM IAGIELLONIAM in NEO-
BVRGICAM Gentem,
IAGIELLONICI SANGVINIS hæreditarias
Fortunæ & Gloriæ dotes,
in Regnatricem Domum SOBIESCIANAM
per Sereniſſimam HEDVIGEM pro dote tranſtulit.
Princeps ut Gloriæ, ita Prolis acceſſione omnium Eu-
ropæ Principum Fortunam prætergreſſus
novum Europæ Zodiacum condidit;
in quo totidem ſigna ac ſidera
quot Natos collocavit.
Neſcias! dignior tanta Prole Pater?
an Auguſtior tanto Patre Proles?
S. R. Imperij ELECTOR
Electorum numerum aucturus in cælis, *Octoviralem* in
terris imminuit: (mat9,
atquê ex Imperij *Electore* plenis cælitũ comitijs procla-

 Regni

Regni cæleſtis *Electus*,
Electorum morte obitâ, ad *Electos* abijt.

MAIESTAS Virtutum Sereniſſimæ NEO-SPONSÆ.

PRæpoſterè ſanè nubant alij, qui dotem, non dotes, opes ſectantur non animum. Principis noſtri felicitatem religione, ac pietate eximia coniugare Conſors debuit, eò, quòd hoc ſolo vinculo Orthodoxæ fortunæ ſocietur neceſſitudo. *Nihil laudabilius fœminis* (inquiebat ille Romanorum Cæſarum Encomiaſtes) *quàm ſi honorem non in ſplendore titulorum, ſed in iudicijs hominum reponant.* Age Princeps Sereniſſima, Orbis de Te (ſi placet) exquire ſenſum. Audies, Te â Fortuna Feliciſſimam; à Maioribus Maximam; â moribus Illuſtrium morum Reginam prædicari. Audies, Te Illuſtriſſimas Maiorum ceras Illuſtriſſimâ accẽdiſſe vitâ; naſcendi Serenitatem Sereniſſimis dotibus pertexuiſſe: idq; Tuo efficis munere, ut nihil carius aut orbis dare, aut nos poſſemus accipere. Solicita ſuo pro Principe Sarmatiæ vota, nè à votorum deflecterent meta, in Te inclinârunt; ut poſt denatas terris, RENATAS cælo CÆCILIAS, poſt ludentes cum utraq; Fortuna victrices animorum LVDOVICAS; poſt inſignes Nominis ac virtutis oleâ ELEONORAS, Te haberet Polonia, in qua veterem Principum ſuorum Formam pulchramquè

morum

morum Symmetriam cerneret; & dotale virtuti Regnum & fœderatam Maiestati virtutem in Te obstringeret. Te Procerum unanima in Serenissimum Lechiæ Polum transtulêre Suffragia, quòd plurimùm de cælo traheres, & sola simul ampla morum venustate omnium lacesseres aciem, simul venusta splendorum amplitudine universorum impleres pupillam. *Iliadem in nucleum* cogo, cùm Tua decora illis Pacati concludo verbis: *Dixisse sufficiat, unam Te extitisse, in qua virtutes simul omnes vigerent, quæ singulæ in omnibus prædicantur.*

Sub fortunatissima Principe
Tuam ad calculos Felicitatem revoca Polonia.
Gemmea fortuna in Principum Gemma transmittitur.
Vtquè proveniat generosiùs,
inter concussi orbis fulmina
FILIO TONITRVI destinatur.
Inter publicæ felicitatis bellaria Gemma proponitur.
Sed quæ non Regni iacturam,
verùm Regnorum propinet salutem,
obsignet felicitatem.
Ita hæc Maiorum illuxit lumine;
ut magis luceret è suo
orbis confusura PVLCHERIAS.
Et venustati factura pretium addidit merita.
Quod natura inchoavit, virtus absolvit.
Nullibi latiùs orbis oculis patere potuit;
quàm in *Campo Libertatis*:
nullibi excelsiùs videri,

quàm in Sereniſſimo *Poloniæ Polo.*
Digna erat, quæ in Coronis Regum radiaret;
niſi in animis maluiſſet.
Dignum manibus Cælitum Donarium;
quod cæleſti artificio Pietas cælâſſet & Religio.
Abeat iam in annulum Orbis.
Peripheriæ culmen Sarmatia erit:
Cui tam nobilis Gemma inſeritur.

MAIESTATES Cæſareas, Regias, Ducaleſq; totius Europæ, in Regio SCVTO collectas præſentat Hymenæus.

ET iam ſupremam artificij tui lineam in Regali Principis Noſtri SCVTO, veluti in Tabula Maieſtatum poſuiſti; eâq; unâ totam *Maieſtatum Vniverſitatem* circumſcripſiſti Fortunate artifex Hymenæe. Nec aliter vetuſtiſſimas Gentis NEOBVRGICÆ Imagines hîc potuiſti repræſentare; quàm appoſitis ad operis perfectionem Auguſtiſſimis totius Europæ Imaginibus. Quas Sangvinis & Affinitatis lineamenta per GERMANICA & AVSTRIACA Cæſarum Sceptra; per Regales, HISPANIÆ, GALLIÆ, HVNGARIÆ, ANGLIÆ, & DANIÆ Coronas; per clariſſimas quaſq; Europæ Principum trabe-

Trabeas deducta, sociatis Purpuris ita colligaverunt: ut omnium Principum & Maiestatum formæ; in unam Imaginem transivisse viderentur. Atq; hæc Martio Principis Nostri CLYPEO feliciter impressa, â ferro eius, aurea secula Europæ universæ præsagit.

Evola in sublime, POLONE ALES,
& plaude.
SCVTVM illud
Quod in *Nidum Gloriæ Tuæ elegisti*,
iam factum est
Omnium Orbis MAIESTATVM *Nidus*,
Imò fortissimorum Leonum cubile.
Hùc induxerunt
LEONES NEOBVRGICI AQVILAS
IMPERIALES,
Reges animantium, *Reginas* volucrum.
Quid non Regium sperabit Lechia?
Huc advolârunt Sociatæ AQVILIS ALAVDÆ pulchrâ Laude, æternùm floridi gratiarum veris
Prænuntiæ,
semper *Candidæ*, quia AVSTRIACÆ.
Quid non floridum in *Martio campo*
colliget â CAMPO dicta POLONIA.
Adsunt hîc TVRRES HISPANIÆ;
quæ assurgant in propugnacula:
Adsunt GALLICA LILIA;
quæ aptentur in coronaria serta
Fortunæ Lechicæ.

ANGLIÆ, & DANIÆ LEONES, NEO
BVRGICIS confœderati.
vigilant ad terrorem hoſtium:
Leo rugiet quis non pavebit?
Confluunt unà ITALIÆ, PANNONIÆ,
PORTVGALLIÆ, ,totiuſq; EVROPÆ
Regia decora:
& cum illis *Regum Principumq; Exercitus*:
qui in uno militari Imperatorio SCVTO
Auguſtam ſtationem invenit:
Atq; hîc metatus eſt caſtra MAIESTATVM illa,
quibus locandis Orbis integer anguſtus eſt.
Adeò vaſtus eſt Regalis IANINÆ CAMPVS:
ut ipſe unius CLYPEI ambitu circumſcriptus,
Orbis univerſi ambitum circumſcribat:
totamq; in ſe colligat Europæ amplitudinem;
quia omnes Ampliſſimas EVROPÆ Principum
MAIESTATES.
Accurre LITVANE BELLEROPHON:
et cùm hanc REGALIS CAMPI amplitudinem
curſu tuo metiri ex æquo non poſſis:
votis & affectibus metiaris.
Inter ludos nuptiales
Primus ludus ſit;
Curſus tuus in Votorum *hyppodromo*.
Quotquot in eo paſſus feceris,
(facies autem innumeros)
tot Laureas & oleas in ſerta aptabis;

pro an-

pro annis & fortunis PRINCIPVM NEOSPON-
SORVM coronandis.
In has coronarias *Nuptiales orbitas* innecte,
Orbis universi vota,
omnium bonorum Civium corda,
omnium spes & affectus.
Quidquid unquam Cives boni Optimis Principibus
optârunt;
quidquid votorum Orbis universus
ad fortunæ suæ incrementum adijcere potuit;
totum id conclude in uno hoc circulo;
quem decurris pro fortunato vitæ cursu
PRINCIPVM NEOSPONSORVM.
Atquè sic
Votorum universitate
responde
MAIESTATVM VNIVERSITATI.